



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris  
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,  
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,  
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,  
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &  
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:  
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia  
illustrata: facundissimis ...

Sive Eivsdem Historia Ecclesiastica Anglorum, Vitæ Aliquot Sanctorvm, Et  
Martyrologium

**Beda <Heiliger>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

Gloriosissimo Regi Ceolulpho, Beda Famvlvs Christi Et Presbyter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71990)



GLORIOSISSIMO REGI  
CEOLULPHO,BEDA FAMILVVS CHRISTI ET  
PRESBYTER.

Historiam gentis Anglorum Ecclesiasticam, quam nuper edideram libentissimè tibi desideranti rex, & prius ad legendum ac probandum transmissi & nunc a te transcribendum, ac plenius ex tempore meditandum retransmitto: satis studiosum tuam sinceritatis amplector, quo non solum audiendis Scripturæ sacræ verbis aurem sedulus accommodas, verum etiam noscendis priorum gestis, siue dictis, & maxime nostræ gentis, virorum illustrium curam vigilantè impendis. Siue enim historia de bonis bonæ referat, ad imitandum bonum auditor sollicitè instigatur: siue mala commemoret de pravis, nihilominus religiosus ac pius auditor siue lector, vitando quod noxium est ac peruersum, solertius ad exequenda ea, quæ bona ac Deo digna esse cognoverit, accenditur. Quod ipsum tu quoque vigilantissimè apprehendens, historiæ memoratam in notitiam tibi, simul & eis, quibus te regendus diuina preceit auctoritas, ob generalem curam salutis latius propagari desideras. Ut autem in his, quæ scripsi vel tibi, magnanimitè rex, vel ceteris auditoribus siue lectoribus huius historie occasionem dubitandi subtraham, quibus hæc maxime auctoritas dicerem breuiter intinere curabo. Auctoritate omnes atque auditori consili huius Albinus Abbas reverendissimus, vix per omnia doctissimus extitit: qui in Ecclesia Cantuariorum à beatæ memoriæ Theodoro Archiepiscopo, & Hadriano Abbate viris venerabilibus atque eruditissimis institutus diligentè omnia, quæ in ipsa Cantuariorum provincia, vel etiam in contiguis eiusdem regionibus à discipulis B. Papæ Gregorij gesta fuere, vel monumentis literarum, vel seniorum traditione cognoverat, ea mihi de his, quæ memoria digna videbantur, per religiosum Londinensium Ecclesiæ presbyterum Nothelmum, siue literis mandata siue ipsius Nothelmi viua voce referenda transmisit. Qui videlicet Nothelmus post à Romam veniens, nonnullas ibi B. Gregorij Papæ simul & aliorum Pontificum epistolas, perscrutato eiusdem sanctæ Ecclesiæ Romane scriptis permissu eius, qui nunc ipsi Ecclesiæ præest, Gregorij Pontifici, inuenit: reuersusque nobis nostræ historie inferendas cum consilio præfati Albini reverendissimi Patris attulit. A principio itaque voluminis huius usque ad tempus, quo gens Anglorum fidem Christi percepit, ex priorum maxime scriptis hinc inde collectis ea, quæ promissis didicimus. Exinde autem usque ad tempora præsentia, quæ in Ecclesiæ Cantuariorum per discipulos B. Gregorij Papæ, siue successores eorum, vel sub quibus regibus gesta sint, memorati Abbatis Albini industria, Nothelmo, ut diximus, perferente, cognovimus. Qui etiam provincia Orientalium Saxonum simul & Occidentalium, necnon & Orientalium Anglorum atque Nordan Humberorum, à quibus præsulibus, vel quorum tempore regum gratiam Evangelij perceperint, nonnulla mihi ex parte prodiderunt. Denique hortatus præcipuè ipsius Albini, ut hoc Opus aggredi auderem, provocatus sum. Daniel quoque reverendissimus Occidentalium Saxonum Episcopus, qui nunc usque superest, nonnulla mihi de Historia Ecclesiastica provincie ipsius, simul & proxima illi Australium Saxonum, necnon & Veltæ insula literis mandata declaravit. Qualiter verò per ministerium Ceddi & Ceadda religiosorum Christi sacerdotum, vel provincia Meritorum ad fidem Christi, quam non noverat, per venerit, vel provincia Orientalium Saxonum fidem, quam olim exufflauerat, recuperaverit, qualis etiam ipsorum patrum vita vel obitus extiterit, diligentè à fratribus monasterij, quod ab ipsis conditum Lastingen cognominatur, agnovimus. Porro in provincia Orientalium Anglorum quæ fuerint gesta Ecclesiastica, partim ex scriptis, vel traditione priorum, partim reverendissimi Abbatis Esi relatione comperimus. At verò in provincia Lindisig quæ sint gesta erga fidem Christi, quæ ex successio sacerdotum extiterit, vel literis reverendissimi antistitis Cyneberti, vel aliorum fidelium virorum viua voce didicimus. Ad hæc quæ in Nordan Humberorum provincia, ex quo tempore fidem Christi perceperunt, usque ad præsens, per diversas regiones in Ecclesiâ sint acta, non uno quolibet auctore, sed fidelium innumerorum testimonio, qui hæc scire vel meminisse potuerunt, assertionem cognovi, exceptis his, quæ per me ipsum nosse poteram, inter quæ notandum, quòd ea, quæ de sanctissimo Patre nostro, & antistite Cudberto, vel in hoc volumine, vel in libro gestorum ipsius conscripsi, partim ex eis, quæ de illo prius à fratribus Lindisarnensis Ecclesiæ scripta reperi, assumpsi, simpliciter fidem historie, quam legebam, accommodans: partim verò ea, quæ certissima fidelium virorum aestatione per me ipsum cognoscere potui, solertè adicere curavi. Lectoremque suppliciter obsecro, ut si quæ in his, quæ scripsimus, aliter quàm se veritas habet, posita repererit, non hoc nobis imputet, qui (quæ vera lex historie est) simpliciter ea, quæ fama vulgante collegimus, ad instructionem posteritatis literis mandare studuimus.